

facit jam determinatus influxus est, et determinatum decretum : ergo antecedenter ad determinationem nostram determinatum est, et sic non habet indifferentem concursum, et decretum, sed ex se determinatum, et efficax ante determinationem voluntatis, nec tollit libertatem.

ARTICULUS IV.

Efficacia decretorum, auctoritate stabilitur.

Vidimus inconvenientia ponendi decreta indifferentia, et in sui determinatione, et efficacia operandi dependentia a libertate creata. Nunc videamus quomodo ipsa decreta ex se, et independenter a quocumque libertatis nostræ consensu efficacia sint, nec possint ex suppositione aliqujus causæ efficaciam sortiri, cum omne illud a quo dependere illa efficacia potest, non supponatur, sed causetur a voluntate Dei; quod si causatur, non ab ipso consensu indifferentia decretorum determinatur, cum causari non possit consensus, nisi a decreto determinato, non indifferenti. Hoc ergo nunc probandum nobis est, et firmandum tum auctoritate, tum ratione. Auctoritas deducetur imprimis ex auctoribus qui hanc sententiam sequuntur, non solum in schola D. Thomæ sed extra eam. Deinde, ex auctoritate patrum, præsertim Augustini idem stabilitur.

D. THOMÆ MENS.

I. Primo ergo dari in Deo decreta ex natura sua efficacia et determinata, non ex consensu subsequuto efficaciam denominationem sumentia, est sententia, et mens indubitata D. Thomæ. Cognoscitur autem hæc

ejus mens ex aliquibus principiis ejus manifestissimis. Etenim apud D. Thomam certum principium est, quod tota contingentia, et libertas in operando voluntatis creatæ non reducitur in ipsam causam proximam tantum, sed in ipsam causam primam tamquam in radicem et principium unde oritur ille modus contingentia, et libertatis in actu. Cum quo principio non stat quod decretum et voluntas divina non habeat ex sua propria vi, et natura efficaciam, sed expectet illam a consensu futuro creato, quia habet in se vim causandi libertatem et contingentiam actus multo magis quam ipsa causa proxima creata : ergo sicut voluntas quæ causat suum actum liberum, non accipit efficaciam ab actu, sed ei communicat totum esse et libertatem quam habet, ita similiter causa prima, quia ejusdem libertatis, et contingentia causa est. Nec potest consensus iste denominare efficacem voluntatem divinam, nisi in re liber sit et contingens. Si ergo voluntas divina est causa libertatis, et contingentia in illo actu : ergo causat illam, non expectat illam, causare autem non potest, nisi determinatione decreti, et concursus posita : ergo ex se habet illam, si non emendicat ab alio. Et præsertim, quia ideo nunc oppositi auctores decretum divinum non esse ex natura sua efficacem, quia tollerent contingentiam et libertatem voluntatis creatæ; si ergo causat illam, non minus, sed multo melius quam ipsa voluntas creata, quæ est causa proxima, ejus efficacia non nocet libertati, si quidem causat illam, nec expectare potest determinationem liberam voluntatis, ut dicatur ipsa divina voluntas determinate et efficaciter agere, quia illa voluntatis nostræ determinatio causari debet a voluntate divina, et sic ex ipsa habere debet determinatio-

nem et efficaciam, non hæc ab illa supponere; si autem non supponit ab illa : ergo ex se habet.

Hoc principium est manifestissimum in Divo Thoma, nec Vasquez illud negat, sed plane sic sentit D. Thomam docet hæc prima parte, disp. xcix, cap. vii, videlicet quod libertas et contingentia actus liberi reducatur in causam primam : id enim aperte docet S. Thomas hic quæst. xix, artic. viii, ubi in fine corporis inquit : « Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes, sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. » Et quod hoc reducat ad efficaciam divinæ voluntatis, statim ponderabimus. Clarius idem docet infra quæst. xxii, artic. iv, ubi reducit contingentiam rerum in Deum, qui effectibus contingentibus præparavit causas contingentes, et necessariis necessarias. Et addit solutione ad tertium : « Considerandum est quod necessarium et contingens proprie consequuntur ens in quantum hujusmodi. Unde modus contingentia, et necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis, non autem sub provisione aliquorum particularium provisorum. » Ecce quomodo D. Thomas ipsum modum contingentia non solum sumit per respectum ad Deum, sed ad ejus immediatam provisionem pertinere docet. Hoc idem late docet s. doctor super primo perih. lect. xiv, ubi ostendit quomodo ex Dei scientia infallibili, et voluntate efficaci non tollitur contingentia in rebus. Et postquam id ostendit de scientia, quia videt omnia in se ipsis in præsentia in æternitate, non autem in suis causis, subdit de voluntate divina quod : « Voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa

quædam profundens totum ens, et omnes ejus differentias! » Quam pulchra consideratio ad habendum divinam magnitudinem ubique præsentem : « Sunt autem differentia entis possibile, et necessarium, et ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas, et contingentia in rebus; et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum : ad effectus enim quos voluit esse contingentes, ordinavit causas contingenter agentes, id est, potentes deficere. Et secundum harum conditionem causarum effectus dicuntur contingentes, quamvis omnes dependeant a voluntate divina, ut a prima causa, quæ transcendit ordinem necessitatis et contingentia. Hoc autem non potest dici de voluntate humana, nec de aliqua alia causa, quia omnis alia causa cadit jam sub ordine necessitatis vel contingentia, et ideo oportet quod vel ipsa causa possit deficere, vel effectus ejus non sit contingens, sed necessarius. » Denique, hoc ipsum pulcherrime docet S. Thomas vi met. lect. iii, in fine, his verbis : « Ens in quantum ens habet causam ipsum Deum; unde sicut divinæ providentia subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis in quantum est ens, inter quæ sunt necessarium et contingens. Ad divinam igitur providentiam pertinet non solum quod faciat hoc ens, sed etiam quod det ei contingentiam, vel necessitatem. » Et infra : « Sic ergo patet, quod cum de divina providentia loquimur, non est dicendum solum, hoc est provisorium a Deo ut sit, sed hoc est provisorium a Deo ut contingenter sit, vel ut necessario sit. Unde non sequitur secundum rationem Aristotelis hic inductam, quod ex quo divina providentia est posita quod omnes effectus sint necessarii, sed necessarium est effectus esse contingenter vel de

necessitate. Quod quidem est singulare in hac causa, scilicet in divina providentia. Reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentia, sed constituta a causa superiori utuntur. Unde causalitate cujuslibet alterius causæ subditur solum, quod ejus effectus sit. Quod vero sit necessario vel contingenter, dependet ex causa altiori, quæ est causa entis, in quantum est ens, a qua ordo necessitatis, et contingentia in rebus provenit. »

II. His testimoniis liquide ostenditur mens D. Thomæ in eo quod expresse affirmat, rationem contingentia, et libertatis non solum derivari a causa prima, et a voluntate Dei, in eamque reduci, sed ad nullam aliam causam pertinere legem necessitatis vel contingentia imponere, nisi ad causam primam. Cui principio directe opponitur Vasquez loco supra citato ex disputatione xcix, in hac prima parte, manifeste enim vidit quod si hoc principium admittitur, necessario debet esse influxus Dei in nostram libertatem prior quam influxus in actum, et non simultaneus solum, si quidem causare debet ipsam contingentiam, et libertatem. Quod si eam causat, non ab ipsa determinatione libera nostri consensus expectat determinationem, et efficaciam suam, ne lædat libertatem, sed ex se, et in se habet principium eam componendi et servandi, quia habet principium eam causandi, eo quod oritur ab ipsa ut a radice ordo contingentia, vel necessitatis. Si autem causat, non tollit.

III. Secundum principium in doctrina D. Thomæ manifestum est, quod divina voluntas respectu nostræ voluntatis non solum se habet ut principium dans ipsam virtutem, et potestatem operandi libere, sed etiam ipsum velle, seu actum volun-

tatis causans, et ad illud movens. Cum quo principio non stat quod decretum, et voluntas divina respectu nostri consensus, et nostræ cooperationis se habeat indifferenter, et expectet ejus determinationem, ut efficax sit; quia si causat ipsam determinationem, et velle nostræ libertatis, potius ergo voluntas nostra expectat Dei causalitatem, et determinationem, et efficaciam quam e contra, cum ex ipsa non possit in Deum efficaciam denominatio derivari, nisi prius id a Deo causetur. Unde Molina videns hanc D. Thomæ doctrinam sibi vehementer adversari, eam sibi esse difficilem affirmat, et tandem eam non admittit, ut patet in concordia disp. xxvi, in principio, ubi referens doctrinam D. Thomæ 1 p. q. cv, art. v, docentis quod Deus dupliciter operatur cum causis secundis, primo quidem tribuendo eis virtutes ad operandum, et conservando illas in esse, quod etiam Durandus sentit. Secundo, quia eas ad operandum movet, et applicat, sicut artifex applicat securim ad scindendum, subdit Molina: « Duo autem sunt, quæ mihi difficultatem pariunt circa doctrinam hanc S. Thomæ. Primum est, quod non videam quidnam sit motus ille, et applicatio in causis secundis, qua Deus illas ad agendum moveat, et applicet, quin potius existimem ignem sine ulla sui mutatione calorem in aquam sibi ad motam inducere. » Et infra: « Quare ingenue fateor mihi valde difficilem esse ad intelligendum motionem, et applicationem hanc quam D. Thomas in causis secundis exigit. » Sensit ergo Molina doctrinam hanc D. Thomæ non posse cum sua adæquari, et sic existimavit ipsum influxum Dei, et causæ secundæ pari decursu in effectum prodire, non tamen causam ipsam secundam prius tangi a Deo, ut ex ipso causetur, et

derivetur causæ secundæ cooperatio, et partialis influxus.

IV. Cæterum D. Thomas constanter semper hoc principium docuit, quod videlicet Deus præter virtutem, seu formas operativas, quas tribuit causis secundis, etiam agit in ipsas, et movet et applicat ad operandum; quod utique stare non potest, si Deus non causat, et derivat ex se tamquam supremum, et universalissimum agens ipsam determinationem, et cooperationem, et influxum particularem, et proprium causæ secundæ: nec enim causa secunda alium influxum habet, quam peculiarem, et proprium, et simul cum Deo concurrentem ad effectum; et unico verbo, illud quidquid sit quod causa secunda ut creata, et particularis influit, oportet quod ex Deo etiam sit ut ex causa perfundente, et radicante omnem causam secundam, sicut vitis palmites, non solum se habens ut concausa, sed sicut est effectus ex ipsa causa secunda effective, et entitative, ita ex causa prima, ut ex priori radice, et fonte omnium causarum derivari debet; et consequenter divina voluntas prius ex se efficax est in determinando et causando ipsam determinationem, et cooperationem causæ secundæ, quem ipsamet causa secunda, nec expectare debet efficaciam, et determinationem ab ipsa cooperatione, et determinatione causæ secundæ, v. g. a consensu nostro, sed illi talem determinationem, et efficaciam dare.

Sic explicatum principium hoc habetur expresse in D. Thoma. In primis loco illo citato a Molina scilicet 1 p. quæst. cv, art. 1 ad III, sic inquit: « Dicendum quod hoc ipsum quod causæ secundæ determinatur ad determinatos effectus, est illis a Deo. Unde Deus quia alias causas ordinat ad determinatos effectus, potest etiam determinatos effectus

THEOLOGIA III.

producere per seipsum. » Hic loquitur s. doctor generaliter de omnibus causis, quarum determinatio, et efficacia cooperativa ex Deo est. Subdit de voluntate creata in articulo IV ad II, sic quod: « Moveri voluntarie, est moveri ex se, id est, a principio extrinseco. Sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco, et sic moveri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio. » Et parificans motionem Dei in causas voluntarias cum motione in causas naturales, inquit 1 p. q. LXXXIII, art. 1 ad III, quod: « Deus est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus eorum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntaria, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. » Ecce quomodo apertissime ponit S. Thomas, Deum per modum causæ agentis et moventis operari, et facere ut actiones voluntatis sint voluntaria et libera (hoc enim, inquit, in eis facit) sicut facit ut naturales causæ habeant actiones naturales, sine hoc quod præjudicetur earum libertati per hoc quod moveatur a principio extrinseco, quia illud principium extrinsecum est causa, et principium illius intrinseci principii voluntarii. Nec loquitur de causalitate, et motione solum per modum objecti attrahentis, quæ est motio moralis, sed de causalitate intima intra voluntatem: id enim expresse distinguit ipse s. doctor citato loco, q. cv, a. iv, ubi ait quod: « Voluntas movetur ab objecto quod est bonum, et ab eo qui creat virtutem volendi. » Et postquam ostendit quod potest moveri, sicut ab objecto, a quocumque bono, sed non sufficienter et plene, nisi a summo bono, subdit de alio modo movendi ex parte

virtutis, et non ex objecto, quod: « Virtus volendi a solo Deo causatur, velle autem nihil aliud est quam inclinatio in objectum voluntatis, quod est bonum universale, inclinare autem in bonum universale est proprium primi moventis cui proportionatur ultimus finis. Unde utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maxime secundo modo eam interius inclinando. » Ergo secundum D. Thomam modus quo operatur, et facit Deus intra inclinari voluntatem ad actionem voluntariam et liberam, non solum est per modum objecti attrahentis et allicientis, quæ est motio moralis, sed distincta ab ista: si autem non est moralis, et objectiva, est ergo effectiva et interior.

V. Præterea declaratur hoc principium ex aliis locis D. Thomæ in quibus agit tum de causis omnibus secundis, tum specialiter de voluntate, et semper docet Deum virtute sua causare, et applicare, et determinare ipsam cooperationem causæ creatæ, et modum ejus seu actionem, non solum autem præbere virtutem, et formam operativam causæ secundæ, sed ad ipsam operationem movere. Quod luculente tractat D. Thomas quæst. III de potentia, art. VII, tum in corpore articuli, tum in solutionibus argumentorum. Non possumus totum locum hic inserere, sed omnino legendus est ab his qui plene mentem s. doctoris voluerint intelligere. Nos verba sequentia tantum ponderamus. « Quanto, inquit D. Thomas, causa aliqua est altior, tanto est communior et efficacior (nota bene unde sumit D. Thomas efficaciam in Deo, scilicet ex universalitate operandi) et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali, invenimus quod est ens, et

quod est res naturalis, et quod est talis, vel talis naturæ. Quorum primum est commune omnibus entibus, secundum omnibus rebus naturalibus, tertium in una specie, et quartum si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, et ulterius totum esse naturæ inferioris (sumit D. Thomas ly instrumentum non in rigore, pro eo quod operatur ut pure motum, et ministrans, sed leviori significatione, pro eo quod operatur ex participatione alterius, habens tamen principium sui motus, et tale instrumentum non excludit libertatem, ut apertissime se explicat quæstione XXIV de verit. artic. I ad V, ubi hanc distinctionem de instrumentis ponit.) Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse, nisi per virtutem Dei. » Et infra: « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actionem, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum junxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis, et naturæ. » Sic D. Thomas. Qui ex hoc colligit operationem Dei, et naturæ non se habere simul, sed secundum ordinem prioris et posterioris, ut explicat solutione ad quartum quod: « Tam Deus, inquit, quam natura immediate operantur, licet ordinentur secundum prius et posterius, ut ex dictis patet. » Et tandem solutione ad sep-

timum distinguit virtutem quam res naturalis habet in sua institutione collatam: « Quod hæc habet esse ratum, et firmum in natura (id est, permanenter se habet) sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis. »

VI. Ex qua doctrina constat generaliter pro omni causa inferiori, etiam voluntate creata affirmare D. Thomam quod Deus est causa, et principium ejus operationis, seu cooperationis quam habet talis causa inferior, quatenus non solum dat ei virtutem operandi, eamque conservat, sed etiam quatenus movet ad operandum, illique communicat virtutem ut operetur non solum secundum gradum suum proprium, et individuum sed secundum communem. Et quod hoc quod facit in istis causis ut operentur actu, est aliquid per modum transeuntis, et non est ipsa virtus permanens a principio collata. Quomodo cum hac doctrina potest coherere, quod divina voluntas ex se efficax non sit, sed efficaciam desumat per denominationem extrinsecam a consensu nostræ voluntatis futuro? Si quidem ad hoc ut voluntas habeat ipsum consensum dependet a motione, et applicatione voluntatis divinæ, et ab ejus causalitate qua applicat, et movet causas secundas ad actiones suas etiam ut ab ipsis oriuntur: sed oriuntur a causis suis illæ actiones ut determinatæ, et in singulari: ergo etiam a causa prima sic determinate oriuntur et causantur, si quidem ipsa causa prima est principium, et causa illius determinationis, et consensus: non ergo ipsum expectat, ut determinate influat, si quidem illam determinationem causat.

VII. Quod autem generaliter docet D. Thomas in hoc loco de omnibus causis secundis, specialiter de voluntate creata, docet in aliis locis: nam 1-2, q. X, art. IV, in solutione ad primum et tertium, solvit fundamenta opposita, quibus nituntur ad dicendum quod Deus efficaciter non determinat nec ex natura sua decretum divinum causat determinationem, et consensum voluntatis nostræ, sed ab eo accipit denominationem efficacis.

Primum argumentum est, quia omne agens cui non resisti non potest, de necessitate movet: sed Deo, cum sit infinitæ virtutis, resisti non potest, unde dicitur Rom. IX: *Voluntati ejus quis resistet?* Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem. Cui argumento sic respondet S. Thomas: « Ad primum dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveretur libere prout competit suæ naturæ. » Ubi pondero, quod in argumento loquitur D. Thomas de motione efficaci ex se, et entitative, non solum moraliter moventi, hæc enim cum innitatur propositioni objecti, et persuasioni, utique non est infinitæ virtutis in movendo, nec talis quod ei resisti non possit, ut de se patet: ergo in solutione de eadem debet loqui, alias non solveret argumentum, sed deberet negare quod Deus ageret ut agens infinitæ virtutis, si sola morali motione, et indifferenti decreto operaretur, et expectando determinationem nostri consensus. Dicit autem quod illa efficacia licet sit infinita, ex hoc tamen habet non necessitare, quia comprehendit, et causat non solum substantiam actus, sed etiam modum operandi congruentem causæ